

1533 videbatur. Hinc atque inde strenue, & intrepide dubio mar-
te pugnatur; dum complures, qui in Alexandrina triremi Ja-
nizzeri aderant, fortiter nostrorum impetum sustinerent, ni-
hilque eorum prætermitterent, quæ in re ancipiti ab animo,
ac virtute peti subsidia possent. Verum cum fessis recentes
milites a triremi, quæ Canalis prætoriae propinqua erat, sub-
mitterentur, Maurus octo vulneribus transfixus, spe abjecta,
inops animi in mare se projiciens, vitæ per fugium alia in tri-
remi quærebat. Illum adnatantem, & semivivum ignorans
quisnam esset, miles conficere annixus, vix se prodentem con-
tinuo e fluctibus extraxit, atque ad conspectum Canalis præ-
fecti perduxit. Capto duce, prætoriaeque triremi in potestatem
nostrorum redacta, reliquæ facile oppressæ fuere: quatuor ca-
ptæ; duæ disjectæ, ac fluctibus absorptæ; reliquæ, opportu-
ne arrepta fuga, salutem sibi quæsiere: barbari ad unum
omnes interfecti.

Ex hoc eventu ingens milites, & Cretenses populos lætitia
incessit, quod præclaram adeo victoriam exiguo temporis mo-
mento per summam virtutem Canalis consequutus esset. Qui
vero maturius factum pensabant, rem omnem secus animis ex-
pendebant, cum Suleimani inde irarum impetum in Venetos
effusurum vererentur, quod cum ea classe certatum esset, quæ
non piratarum, sed ipsius auspiciis navigaret. Ea re commo-
tum præpotentis, ac supra mortalem fastum elati animi Prin-
cipem, rupto foedere, bellum Venetis illaturum pertimesce-
bant. Itaque Cretæ magistratum, ac maritimorum perfectio-
rum concilio coacto, multis disceptatum; tandem decretum
est, ut triremes Turcicæ in Africam mitterentur; ad meliorem
spem Mauri juvenis animus erigeretur, commissoque prælio er-
ror noctis obtenderetur. Prælii vero hujus nuntiis Venetias
perlatis, vehementer Patrum animi commoti sunt; inde
quamplurima incommoda suboriri Reipublicæ posse veriti,
quod Suleimanum æquo animo tantam injuriam minime la-
turum arbitrarentur. His accesserat, quod cum ob mo-
dicos segetis proventus hoc anno annona laboraretur, li-
beraliter frumenta e suis regionibus asportandi facultas Ve-
netis concessa fuerat; atque de iis, quæ Mauro acciderant,
certiores facti, Principis injussu, Turcæ ministri naves, quæ
ad

*Maurus
Alexandri-
nus vulne-
ratus a Ca-
nali cū tri-
remibus ca-
ptus.*

*Turcicæ
triremes a
Cretæ magi-
stratibus in
Africam
mittuntur.*

*Venetæ na-
ves frumen-
tis onustæ a
Turcis de-
tentæ.*